

AUCTUARIUM.

CONCIO I.

CHRISTUS SIGNUM CONTRADICTIONIS.

Christo veluti Davidi coram area saltanti aliqui insultant et contradicunt. — I. Qui ipsum profitentur, interim terrena ambiunt. — II. Qui hos sacros dies consumunt in luxu. — III. Qui his sacris diebus superstitiones miscent. — IV. Qui ad singulare certamen descendunt.

THEMA.

Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur, Luc. 2.

Libro II. Reg. era. VI. legimus Davidem regem introduturum arcam fœderis in civitatem suam, instituisse solemnem quamdam processionem, in qua ipse deposito regio ornatus vestivit se ephod, seu tunica angusta linea, saltavitque toto pectore præ gaudio inter Levitas. Spectans id ex fenestra Michol, ejus conjux, (siquidem processionem hanc comitata non erat) despexit eum, et post occurrentes regi, reprehendit ac derisit dicens: *Quam glorus fuit hodie rex Israel, discoperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi nudetur unus de scurris?* Verum sua derisione hoc promeruit, ut sterilis maneret toto vita sua tempore, non exigua tunc temporis præsertim in regina, poena ac contumelia. David Christi typus fuit, ut arca Ecclesiæ. Hanc introducaturus in civitatem suam coelestem Filius Dei, exiit se vestimentis gloriae suæ, cum in forma Dei existens induit formam servi, vestiens se lineis et pauperculis fasciis, quibus in præsepi involutus jacuit, cœpitque ante Ecclesiam suam, pene nudus omnibusque rebus exutus, præ gaudio saltus edere, jam ad montana adhuc in utero matris, jam inde in Nazareth, hinc in Bethlehem, abhinc in Jerusalem, inde rursum in Nazareth, ex hac in Ægyptum, ex Ægypto in Galilæam. Reliqua ejus vita perpetua quasi saltatio et cursus de loco in locum fuit. Unde sponsa de dilecto suo canit, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiens colles.* Cant. II. At vero sunt non pauci, qui quasi de fenestra spectant hanc Christi nuditatem et choream, eam-

que reprehendunt ac derident, si non verbo saltem opere; dum contraria omnia faciunt, adeoque Christo contradicunt, quasi ipsi melius sapiant, dum Christi humilitatem, patientiam et paupertatem aversantur et contemnunt, ut videbimus.

I. Contradicunt Christo, qui eum per omnia humilem pauperem, abjectum, jacentem in præsepio, pendente in cruce adorant, velut Dominum ac Deum suum: interim toto pectore querunt et meditantur semper excellentias, opes, delicias, libertatem: ac præ cupiditate harum rerum pene insaniunt. Christus in præsepi et cruce ultimum ac despectissimum locum sibi delegit, isti supremum querunt. Christus pauperculos parentes habere voluit, vivere ex eleemosynis, nasci et sepeliri in alieno loco: isti paupertatem abominantur, oībus insidiantur. Christus pati frigora, famem, sitim, contumelias, probra, tormenta et crucem voluit: isti cane pejus hæc oderunt: deliciis affluere et circumfluere volunt. Christus ligari, legibus patris se subjecere et ex ejus voluntate mori non refut: isti legibus arctari nolunt, libertatem querunt; viam spatiösam, quaqueversum placet, ambulare querunt. Scimus ex Gen. XXVII. Jacobum a matre subornatum, ut benedictionem patris impetraret, et fratri prariperet, sibi timuisse, quod ipse, adeoque valde dissimilis fratri Esau primogenito, utpote piloso: quare ubi manus suas obduxit hœdi pelliculis, tum denique benedictionem et petere usus est et obtinuit, *quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant.* Deus Pater non benedicet nobis, nisi Filio ejus, qui est frater noster primogenitus aliquatenus assimilemur. Ideo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matth. XVII. Quare cum ipse asperam virtutibus duxerit vitam, si nos, suavem, mollem, blandam duxerimus, quam benedictionem obtinebimus? Certe in die iudicij non curabit vocem illam: Christianus sum, sed examinabit manus et opera, an Christo conformes fuerimus. Augustus Cæ-

sar, sub quo natus Christus, habitu et vestibus nonnisi domi sue factis modestissimis utebatur, qui cum filiam suam Julianam superbo vestum luxu, vehementer addictam cerneret, odio propterea habuit ac corripuit non semel, ut vel Augustæ, quæ et ipsa modestissime se vestiebat, aspectu erubesceret; at cum nihil proficeret, sed filiam sibi prorsus dissimilem videret, a se relegatam, in insulam Pandateriam misit, neconon testamento cavit, ne post mortem paterno inferretur sepulcro: nolens vel post mortem etiam communem cum ea tumulum habere. Suet. Dio. Tacitus. Videant nunc illi, qui humiliati, paupertati et patientia Christi e diametro se opponunt, quam gratiam ab illo expectare possint, quid cum illo in altera vita commune habituri sint.

II. Qui hos sacros dies, in quibus cœpit Christus operari nostrum salutem, consumunt in voluptatibus, lusibus, conviviis, otio, somno: et operantur suam perditionem. Scribit Petrus venerabilis abbas Cluniacensis, l. I. mirac. c. XV. vidisse aliquandoS. Hugonem ejus dem cœnobii abbatem in vigilia nativitatis Christi, quomodo malignus humani generis hostes tentaverit varios cuniculos ad intrandum in cœnobium et turbandam pietatem ac devotionem religiosorum in sanctis illis feriis; non tamen effecisse aliquid. Sed quod inter religiosos obtinuit, facile obtinet in mundo apud ejus sectatores; quos ut a re divina avocet, contrariis pietati christianæ operibus occupare nititur. Bene ergo monet Sapiens, Prov. V. *Ne des alienis honorem tuum et annos tuos crudeli;* Cultum et honorem Deo dare oportet, his præsertim diebus, quibus Dei Filiu s nostri causa incarnatus, circumcisus, oblatus fuit, ut eum debita observantia excipiamus et veneremur. At quid agunt multi, qui se dicunt Christianos? Honorem, quem Deo debent dant mundo, Baccho, Veneri, diis vero alienis, quos colunt modo plane contrario, quam coli a religiosis solet Christus. Hunc enim illi colunt septem horarum precibus: mundiamatores simil modo septem etiam horis litant diabolo. Mane surgentes poscant tentaculum et dulce vinum: hæc illorum prima est. Inde comunt et contentur se in speculo; et hæc est hora tertia. Postea audiunt sacrum, ita tamen ut sero veniant et totum fere missæ tempus confabulatione transigant, simulque alios turbent; atque hæc est Sexta. Exinde aliud colloquium instituunt, quandoque etiam in templo de nugis et profanis rebus, quomodo dormierint, quid somniarint, ubi prande re, quid agere velint: sic transit Nona. Post trium horarum prandium ludere incipiunt, loco Vesperarum. A ludo exspatianur curru vel rheda: sic claudunt diem Com-

pletorio. Post coenam instituunt compotationem usque in multam noctem, ethoc est Nocturnum matutinum. Quid videtur vobis? Non hoc est Christo contradicere, et dies atque annos suos subtrahere Domino suo legitime, et impendere alieno? Et quo jure isti dicere possunt se Christianos, et mercedem a Christo petere, cum non ipsi, sed alieno domino, sibi et ventri suo serviant? Sane Balthasar, qui festum diem Beli, dei sui supremi, conviviis, ludis, spectaculis insolenter agebat, et interim Deo Hebræorum insultabat usque ad multam noctem, ea ipsa nocte a Cyro capta Babylone, obrutus et occisus est. Herodot. libro primo Xenoph. et alii. Non ita impedit dies et annos suos David, licet alicis negotiis distentus. Hic enim Deo dixit: *Septies in die laudem dixi tibi.* Ps. CXVIII. Tib Deus, non mundo.

III. Verum enormius adhuc Christo contradicunt, qui in acris his diebus miscent superstitiones, quibus nescio quæ futura investigant et sciscitantur ex diabolo: siveque dies Christo consecratos devouton dæmonibus, et dant annos suos creduli, ut ex Sapienti audivimus. Dies hi saceratissimi sunt panis filiorum Dei, quo nunc reficiunt et saginat spiritum suum. At isti panem hunc filiorum mittunt canibus: nec aliter agunt ac quondam Donatistæ, qui sacram hostiam suis objecerunt canibus, sed in gratiarum actionem ab iisdem dilacerati sunt; teste S. Optato Milevitano, lib. II. contra Parmen. Similiter ergo mercedem reddent illis aliquando canes tartarei. Imitantur et ingratissimos Judæos, qui dum Christus ipsis totique generi humano providit panem vitæ, instituendo. S. Eucharistiam in ultima cena; ipsi interim parabant ei crucem et machinabantur tormenta durissimamque necem. Quid enim egit his diebus Christus? Nonne ipse de cœlo descendit, ut esset panis noster, ideoque in Bethlehem, id est in domo panis nasci voluit, ut vitam nobis æternam daret? At isti mittunt lignum in panem ejus et conspirando cum diabolo summa injuria afficiunt Christum. Imitantur et Judæos illos, apud Ezech. cap. VIII. qui, ut ostendit Ezechieli Dominus, stantes inter vestibulum et altare, seu in templo, dorsa verterunt arcæ Domini, et facie conversa ad orientem, more gentilium adorabant solem. De quibus ait Dominus: « Numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic? Subditque: » Et ego faciam in furore meo: non parcer oculus meus, nec miserebor: et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiām eos. » Dum enim isti Christianos se fatentur, utique in templo Christi stant, et interim Christo dorsum vertunt, negligendo ipsum, et faciem non ad solem, sed quod pejus est, ad

ipsum dæmonem convertunt; atque ab ipso opem ac consilium postulant. Hoccine non est Christo contradicere? Accedit quod contradicunt fidei christianæ datæ in baptismō, in quo renuntiarunt Satanæ, et Christo se manciparunt. Nonne hæc est abominatio omnium *pessima*, ut ibi appellatur a Deo? Quid magis impium, quam quod Julianus imperator egit, quando apostata factus, sanguine victimarum diabolicarum S. Chrismā a fronte extergere et diluere baptismū conatus est, teste sancto Gregorio Naz. orat. in Julian? At isti nonne quid simillimum agunt?

IV. Qui ad singulare certamen provocant, aut provocati comparent. Contradicunt enim hi Christo, qui Herodis furorem fugit infans, et Judæorum sævitæ non semel cessit adulstus, et verbo idipsum docuit: *Ego autem dico vobis, non resistere malo*, Matth. V. Quid igitur illi, qui Christianos se fatentur, et duella recusanda negant? Nonne Christum ipsam Dei sapientiam vanitatis et erroris arguant? At videant illi, quam enormiter errent. Imprimis causæ æquitas per ejusmodi certamen minime declaratur, cum ordinarie vincatis, qui fortior aut pugnandi peritior est, non qui æquiorem causam habet. Hinc in cap. Significandus de purgat. vulgari, describitur talis casus; duos quorum unus alterum accusabat furti, inter se probationis causa pugnasse duello, et justum interemptum esse; furtum enim inventum fuisse apud alterum. Quare in jure canonico hoc certamen graviter interdictum est. Deinde hæc duella nihil generositatis habent, cum fere sint vilissimorum hominum tantum et quo quisque vilior est, eo audacius vitam suam prostituat. Unde olim nonnisi servi et abjecti homines talia inibant certamina, qui animam suam venalem habent; quia nihil ferme perdere possunt: unde non de pari corio ludunt cum alio honesto viro. Accedit nihil ibi virtutis esse, cum timore tantum dedecoris pudore tales ad arma stimulentur, velut si capitaneus retro militem stans hasta intenta pugnare eum cogat. Hinc Augustus Cæsar sapientissimus provocanti se ad duelum Marco Antonio, clare denuntiari jussit, se ubi rerum suarum desperatione coactus fuerit odio habere vitam suam, alias moriendi vias inventurum, honestiores illo cruento furore. Caussin. in Aula sancta. Et uter illorum generosior? Certe Augustus qui imperium diutissime tenuit, et stans mortuus est: Antonius vero victus primo ab Augusto ad Actium prælio navalium, deinde Alexandriae ab eodem obcessus, gladio sponte incubuit, et in brachiis feminæ obiit. Plut. in ejus vita. At mundus pro decore habet, ais. Resp. Mundus perversus et judicio eversus est, cui si tu vitam et sanguinem obstrinxisti, miserrimum es mancipium. Quid igitur consili? Quod egregius doctor Dominicus Bannes dedit, nimurum ne te abdas in tenebras, sed ambules in publico exporrecta et imperterrita fronte, et si forsitan adversarii te adoriri velleant, fac ut paratum te inveniant, ad vim vi repellendam, quod lex naturæ permittit. Sic incedit leo coram canibus et venatoribus lento gradu, et subinde restitans, quasi eo contemnens; sic terret adversarios. At hoc non capiunt homines, sinite eos, caci sunt et cœorum duces.

Vidimus contradictores Christi aliquos. Sed quid his contradictoribus contingat aliquando? Michol sterilitate punta fuit propter viri derisionem, consequenter et a spe regiæ successionis per filios ob'indæ, prorsus dejecta, insuper et quinque sororis suæ Merob filios, quos a loptarat, in crucem actos cernere debuit. Idem eveniet illis, qui Christo contradicunt et contradicendo illudunt: steriles manebunt ab omni bonorum operum fructu, et velut arbores in frugiferæ et cœlesti regno excindentur. Ad hæc prava eorum opera in crucem gehennæ agentur. Sunt enim velut sterilis illa fucus, quæ folia tan'um protulit, non fructus: unde quia locum in vinea frustra occupabat, excidi demum jussa est; quod a nobis avertat Deus.

CONCIO II.

QUIBUSNAM CHRISTUS IN RUINAM SIT POSITUS.

I. Iis, qui velut cœci in Christum inpingunt. — II. Iis, qui nimis acutum videre volunt. — III. Iis, qui in ejus clemenciam delinquunt. — IV. Qui nolant uti remedium a Christo sibi paratis. — V. Iis, qui instrumenta salutis vertum sibi in perni ciem. — VI. Iis, qui Christi mensa abatuntur. — VII. Carnalibus, qui festa Christi convertunt in luxum. — VIII. Superstitionis, qui sacra ad cultum dæmonis applicant.

THEMA.

Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, Luc. 2.

• Severa hæc prædicatio est, inquit Stella in hunc locum Lucæ citatum, quam omnes, qui Christiani sumus, sèpe contemplari debemus, ut videamus quid in nobis operetur agnitus Christi; an ad meliora pergamus, an vero in deteriora ruamus. • Auditu enim horribilissimum, quod non uni vel alteri, sed multis et longe horribilius, quod ipsum non simpliciter de malis hominibus aut gentilibus, sed de Israel dicitur, hoc est, de his in quos nullam rei suspicionem propemodum cadere posse aliquis arbitretur. Nec hoc solum Simeon dicit, vir justus et Spiritu S. afflatus: dictum quoque ante fuit ab Isaia, cuius verba sunt, cap. VIII:

Erit Dominus in lapidem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel: in luquem et ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex iis plurimis, et cedent et conterentur, et irrelentur et capiuntur. Ita ille. Sed quid hoc est, auditores? Quo modo Christus, Salvator dictus, in ruinam venit? Non sua intentione, sed hominum malitia. Gentiles illos spernebant, quod in cruce moreretur: idolorum cultores, quod idola damnaret: Pharisei, quod eorum hypocrisia taxaret, præpotentes, quod timerent se per eum ab imperio dejiciendos, alii, quod eorum vitia reprehenderet. His omnibus in ruinam et scandalum factus est, et fit hodieque, uti nunc audiemus.

I. — Iis, qui cœcorum instar impingunt in Christum quia oculos claudunt. Stat in viis publica columna vel crux, que viam tibi monstrat: tu vero non attendens incurris in eum et corruis. Quis in eusa, nisi tu? Christus in mundum venit, ut n̄ bis cœli viam monstraret. Tu avertis oculos, au lire docentem non vis, conciones fugis: hinc gravius impingis, quam qui de Christo nihil audierunt: sitque tibi adeo Christus in ruinam. Ita enim ad Judæos loquitur: *Si non venissem et loculus fuisse in eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent*. Joan. XV. Prædixit Dominus Math. X. tolerabilius fore terræ Sodomorum, quam iis, qui non receperunt servos Dei, verbum ue ejus. Tales autem sunt imprimis infideles, qui Christum blasphemant et contemnunt. His proximi sunt politici, qui credere se dicunt, cum vix Christiani appellan di sin, quia claudunt oculos verbo Dei, rident conciones, levicule et dubitanter loquuntur de rebus fidei. Damnabuntur isti vel ideo, quia oderunt lucem, sibi a Deo accensam. Lux hæc comburet eos: sicut lumen candelæ papiliones, qui involant in illud. Cui adscribent eau sam? Num Christo, qui velut lux ad tenebras mundi illuminandas venit? Imo suæ cœcitatí qua velut noctuæ et vesperilioes lucem oderunt et extinguere conantur sunt.

II. Qui nimis acutum vi dñe, et Christi arcana rimari volunt. S. Winoco abbati mola, divinitus mota, farinam dabat: at ejus fratri, qui curioso per foramen inspiciebat, indagare volens, quomodo mola verteretur, cœcitatem attulit, et stetit. Ut in ejus vita VII. Novemb. Lipel. Anseres, scribit Plinius, lib. X. cap. LIX. dum radices morsu nituntur evellere, colla sua interim quandoque abrumpunt. Idem fere contingit illis, qui profunda fidei mysteria suo ingenio temere conantur eruere. Tales autem imprimis sunt hæretici; qui nihil credere volunt, nisi quod palpare, aut intellectu suo capere possunt, v. g. an et quomodo Christus in

Eucharistia sit et similia. Novimus aream fœderis quæ aliquoquin unicum fere Judæorum præsidium fuit, Bethsamitis Hebreis interneconem quinquaginta millia hominum de plebe attulisse, quod eam contra Dei præceptum detracito integumento nudam et curiosus essent intuii, quam tamen Philistæ tectam illis transmiserant. I. Reg. VI. Non miremur ergo, si tot millia hominum permisit Deus labi in hæresin, quia filem non tam Deo, quam suo capiti habent.

III. Qui in ejus misericordiam et bonitatem peccant. Hi enim dum misericordiam ab eo extorquere volunt, hoc ipso se indignos ea constituant. Præfisi Hebrei temere nimis in sola arcæ presentia fuerunt, quando ob peccata sua a Philistæ cœsi clamaverunt: *Afferamus ad nos arcam fœderis, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum*. I. Reg. IV. Verum nihil effecerunt: rursum enim cœsi sunt, et simul arca capta fuit a Philistæis. Putarunt enim satis esse habere legem Dei præsentem in arcam custoditam; cum ipsi non curassent eam custodire in corde suo; quin et illi ipsi sacerdotes, filii Heli duo, qui eam adduxerant, essent impuri et improbi. Itaque ex præsentia arcæ plus damni passi sunt, quam ex absentia. In priori enim prælio quatuor milia hominum tantum perdiderunt: in posteriore vero præte arca tringita millia plaga magna nimis, ut dicitur I. Reg. IV.

IV. Qui velut des perabundi et ignavi nolunt uti remedii a Christo comparatis. Illa enim diffidentia de Dei misericordia et bonitate erit illis in ruinam et damnationem, ut indicat Dominus in parabola talentorum, Matth. XXV. Cum enim servus piger dixisset Domino suo: *Dominus scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas, u'ni non sparsisti: et timens abii et abscondi la'entum tuum in terram*; audiit enim a Domino, *Serve male et p'ger, sciebas, quia meto ubi non semino: oportuit ergo te, etc. Tollite ergo talentum ab eo et servum inutilitem mittite in tenebras exteriores*. Videntur hi sentire cum impiis illis militibus, qui Christo illuserunt arundine et spinea corona, quasi ejus regnum esset arundineum, inane et spineum, cum tamen ex illis ipsis Christi ludibriis, pro nobis susceptis, assurgere ad spem deberent et cogitare e spinis illis prodituras rosas et salutem nostram. Quod ergo bonis est in resurrectionem, hoc est malis in ruinam: quomodo arca Bethsamitas occidit, Cariatharenos servavit, Ozam interfecit, Obedem domum benedixit: Palestinos magnis cladibus oppressit, Hebreos præsidis defendit.

V. Qui instrumenta salutis, uti sacramenta vertunt sibi in perniciem, ea blasphemando et